

itidem firma spina munitae, quatuor digitos longae, duos latae, Interstitio sex et semis digitorum post branchiales in infimo ventre (qui paulum extuberat) duae junctae, tres digitos longae, duos latae, in ambitu circinatae: septem digitorum intervallo a dorsali, alia in extremo dorso, carnofa, sesquidigitum longa, unum lata, in extremitate mollibus spinis munita, et sub hac in infimo ventre alia paulo major cauda sequitur trium digitorum intervallo, in duo cornua ducta, crassa seu molli membrana constans duos et semis digitos longa, in quolibet cornu duos lata. Totum caput superius, et ad latera, dorsum totum et latera ad protuberantiam ventris usque, candidi cum diluto flavo et aureo mixti est coloris, in testa capitinis etiam aliquid viridis transplendet: *Pinnae* omnes et cauda gryfeae sunt: Venter et laterum inferior pars et caput inferius (quod planum est) albi coloris. Caret squammis, sed vestitur cute. Bona satis est carne, melior quam *Camarupi*, cuius magnitudinem fere aequat.

*Tertia* figura et magnitudine ut praecedens, sed barbam habet quatuor tantum cirrhis constantem, duobus nimirum longis octo digitos, et latiusculis instar ligulae, duobus brevibus: ad pinnam dorsalem similis ligula novem digitos longa, et postbranchiales pinnas eodem modo: caetera similis praecedenti.

*Quarta* Belgis vulgo *Clipbagre* decem digitorum longitudinem habet; corpore oblongo: Capite lato et compresso; ore parabolico, edentulo. Barba constat sex cirrhis, quorum quatuor inferiores unum digitum, superiores duos longi. Oculos habet parvulos, caerulecentes, quatuor digitorum interstitio ab ore in summittate dorfi tegitur testa dura ossea, et post branchias in quolibet latere py-

ramidalis testa angusta tegit latera. Pinnas habet septem, et octavam pro cauda: nimirum unam in summittate dorfi, elevatam, mollem, sesquidigitum altam, plus uno latam, anterius spina ossea crassa duplice ferrata, duos et semis digitos lata sustentatam. In medio ventre infimo duas parvas: in fine paene dorfi, carnosam, parvulam, angustam, et e regione hujus inferius aliam parvulis spinis suffultam; cauda diffusa in duo cornua sesquidigitum longa. Tegitur cute: ac in capite, initio dorfi et lateribus, ubi testaceus est, umbrae est coloris, per reliquum totum dorsum et latera umbrae dilutioris, et fuscis maculis mediocris magnitudinis variegatur: in ventre albicat. A testae latiore fine ad caudam usque in quolibet latere, per lineam rectam tendit ordo denticulorum acutorum, posterius versorum, qui clypeo duro ferrato in medio insunt, nam anguli obtusi figura positi sunt usque ad caudam hoc modo 7.

*Edulis* est, sed pauca carne, quae non magni fit.

*Quinta* praecedenti similis, et maculis nummi misnici magnitudine variegatus: Verum caret denticulis illis in lateribus: lineam solummodo habet: et duos cirrhos, et sex longiores quam alter. Haec species habet carnem bonam et pinguissimam.

*Sexta* magnitudine et figura similis illi, quem secundo loco descripsimus: sed barbam habet tantum quatuor cirrhis constantem, duobus nimirum longis octo digitos et latiusculis instar ligulae, duobus admodum brevibus. Ad pinnam dorsalem similis ligula est novem digitos longa; et ad postbranchiales eodem modo; caetera per omnia similis illi, quem diximus; nam et ventrem ita protuberantem habet.

### A R T I C U L U S VII.

#### *De Ajcreba, Jabebarete, Niqui, et Guatacupu.*

**A**IEREBA Brasiliensibus *Rajae* species, piscis planus, circinatus, unum pedem et novem digitos longus, et totidem latus (reperiuntur et duplo maiores.) Quatuor digitorum interstitio ab anteriori circumferentia in superiori superficie duo foramina habet satis ampla, tres digi-